Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 291
Quelle:
Copyright:

Tyrannicidio merito ab Episcopo *Parisino Gerardo de Montaigu* condemnatas fuisse. Initium est: *Supponitur quod Judicium super IX. assertionibus et qualificationibus earum pendet coram hoc sacro Concilio.* &c. *Johannem Gersonem* in Concilio contra Episcopum *Atrebatensem Parvi* fautorem stetisse docent *Acta* apud *Herm. von der Hardt* T. IV. P. 8. p. 724. et *Bulaeus* in *Hist. Univ. Paris.* T. V. a p. 120. Quid si igitur Scriptum istud, quod ineditum putem, illi adtribuatur?

III. *fol.* 275. *Tractatus Cancell. paris.* (Joh. Gersonis) *de potestate ecclesiastica.* Initium praemisso *Probemio* sive Summariis XIII. Considerationum est: *Potestas ecclesiastica debet ab ecclesiasticis quid. qualis. et quanta sit agnosci* &c. Extat *Opp. omn.* edit. dictae *Antverp.* T. II. P. 2. *col.* 225. In *Cod.* nostro subscribitur: *Hic tractatus scriptus est seu compositus in Concilio generali Constancien. per R. M. Johannem de jersano Cancellarium parysiensem Anno domini M° CCCC° decimo septimo.* Hanc subscriptionem excipit *Arbor de origine Juris*, sed non integra, nec praemissis illis III. *Conclusionibus*, quae in editis comparent.

IV. *fol.* 290. p. 2. *Sequitur Tractatus bonus de sacerdocio et regno.* Initium: *Interdum contingit quod vitare volens errorem aliquem dilabitur in errorem contrarium* &c. Tractatus hic alias inscriptus *de Potestate regia et populi*, quo limites utriusque Potestatis exacte defiguntur, et Curialistarum argumenta solvuntur, est *Johannis* O. P. dicti jam *Parisiensis*, jam *Quidort*, alias *Surdi*, vel etiam alicubi *de Poliaco*, sed abs re, et lucem vidit primo *Parisiis* 1506. 4. ut testatur *Quetifus* in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 501. dein in *Schardii Syntagm. de Imp. Jurisdict.* tam *Basileae* 1566. quam *Argent.* 1609. f. *pagg.* 142. et 113. V. *fol.* 319. p. 2. absque inscriptione: *Oblaturus iuxta seniorum huius sacri Concilii Constan. monitionem generalem* &c. Est Tractatus *Joh. Gersonis* contra necessitatem Communionis sub utraque specie, qui pluribus *Codd.* occurret, nihilque hic ab iis diversum offert.

CVIII. VIII A 13.

Codex membraneus lat. Sec. 47
XV. Folior. nunc 205. f. max. per duas columnas perquam eleganter scriptus, literis initialibus auro, coloribusque illusis continet *Thomae Aquinatis Catenam auream*, seu, ut ipse inscripsit, *Continuum in Lucae Evangelium*, ex PP. dictis eo artificio connexum, ut, si autorum nomina, unde interpretatio sumta est, demas, unius videatur esse lucubratio, ut observat *Possevinus* in *Appar. sacro.* Textus evangelicus charactere unciali, Commentarius minori exaratus est. Deest vero, si Codicem hunc cum Editione principe *Romae per Conr. Schweinheim et Arn. Pannarz* MCCCCLXX. f. compares, folium